



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Inclyta Salmanticensi
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ
propriarii Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

González Téllez, Emanuel

Francofurti Ad Moenum, 1690

Titulus XXXIII. De Conversione Infidelium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)

impetitione dicti C. sententialiter duximus absolvendam, perpetuum illi super hoc silentium (d) imponentes.

NOTÆ.

1. (a) **P**landa.] Forſan legendum eſt, de Ploda, quod eſt ditiffimum cœnobium in Italia, juxta lacum Larij, ut refert Paulus Jovius in *deſcriptione ipſius lacus*.
2. (b) **I**racundia.] Sed non extra mentem, aut judicio alienatus; quo caſu etiam votum tempore iracundiæ factum valet. Suarez de *reli-*

gione tom. 2. lib. 1. de voto, capite 9.

(c) **C**onditione.] Quæ ſi expreſſa eſſet, redderet actum conditionalem, ita ut ea deficiente, nullus eſſet, juxta tradita à Baſilio *lib. 3. de matrim. cap. 1.*

(d) **I**mponentes.] Cùm maritus conſenuit, caſtitatemque ſolemniter promiſerit, & obſequiis hospitalis ſe devoverit, juxta ſuprà tradita *in cap. 1.*

CAPUT FINALE.

(a) Idem.

Mulier, quæ in fide remanſit, poteſt nolente viro, qui ab infidelitate revertitur, propter quam ab eo fuerat judicio Eccleſiæ ſeparata, ad religionem liberè convolare.

NOTÆ.

1. (a) **I**dem.] Gregorius IX. videlicet, qui præſentem conſtitutionem edidit motu proprio, abſque ulla relatione, ſeu conſultatione, cùm

nulla Decretalis extaret in hoc titulo, quæ caſum adulterii ſpiritualis comprehenderet, in quo idem dicendum eſſe, ac de adulterio carnali, jam ſuprà notavimus *in cap. 3. De divortio* ob hæreſim infra agemus *in cap. quanto, de divortio*.

TITULUS XXXIII.

De Conversione Infidelium.

CAPUT I.

(a) Cœleſtinus III.

AUDABILEM, &c. *Et infra:* Cæterum, quod interrogasti de Sarracenis, qui dum in captivitate essent quarundam Christianarum, viros earum (b) insidiis, & machinationibus occiderunt, utrum quia postea per ipsas ad fidem christianam conversi sunt, easdem de jure accipere possint in uxores, vel si duxerint, ipsum conjugium teneat. Hic Triburiensis (c) Concilii regulam contenti sumus, asserentis, quod si in mortem ipsorum virorum malitiosè fuerint machinata, licet earum studio ad ecclesiasticam fidem accesserint; tamen nec eis adhærere debent, nec sunt, si adhærerint, tolerandi: non enim hinc dispensatio sine periculo posset admitti, cùm tale damnum tali lucro Ecclesia compensare non velit. Ad hæc Sarraceni quidam, qui in bello sunt, Christianos intertrecisse notati; & christiani similiter Sarracenos, postea verò Sarraceni ad catholicam fidem à Gentilitatis errore conversi, uxores eorum, quos certamine bellico neci traderant, sibi matrimonialiter copularunt, id ipsum & Christiani de Sarracenis mulieribus conversis ad fidem fecisse noscuntur; quæ tamen postquam priorum virorum morte compererunt veritatem, divortium instanter exposcunt. Respondemus quoque in his, quod cùm nec Sarraceni, nec christiani mortem alterutrorum procurasse noscantur, matrimonium hujusmodi inter prædictas personas licitè contrahi potest, & taliter copulati, cujuscunque sexus existant, divortium post mortem conjugum postulare non possunt. Idem (d) si quidem juris erit in sequenti casu, quem proponere

ponere studuisti, cum S. Christiano viro propter odium uxoris Christum negante, & sibi copulante paganam, & ex ea filios procreante, Christiana in opprobrium Jesu Christi relicta est; tamen assensu Archidiaconi sui ad secundas nuptias convolavit, & filios suscepit ex ipsis: non enim videtur nobis, quod si prior maritus redeat ad unitatem ecclesiasticam, eadem à secundo debeat recedere, & resignari priori; maxime cum ab eo visa fuerit Ecclesie judicio discessisse; & teste Gregorio, contumelia Creatoris solvat jus matrimonii circa eum, qui relinquitur odio fidei christianæ. Quod autem mulier possit primo viro, qui ad fidem reversus est, nolente, ad vitam monasticam remeare; vel utrum ille reversus ad eam, quam ritu Gentili sibi conjunxit, & quæ propter eum ad fidem nostram cum liberis suis est conversa, mortuâ primâ possit habere uxorem; & an filii ante conversionem geniti, obtentu nuptiarum, quæ post conversionem ritu ecclesiastico celebratæ fuerunt; & similiter si filii illius, quæ de licentia Archidiaconi sui marito priore vivente, sed factò infideli, nupsit viro catholico, legitimi sint habendi, tam regula, quam doctrina Apostoli, quâ dicitur, Si infidelis discedit, discedat; non enim frater, aut soror subjectus est hujusmodi servituti; quàm illud decretum memoratum Gregorij. Non est peccatum dimisso propter Deum, si alii se copulaverit; infidelis enim discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium; & nihilominus, quod prædecessor noster bon. mem. Alex. III. ita dixerit: Tanta est vis matrimonii, ut quæ antea sunt geniti, post contractum matrimonium legitimi habeantur: Nos in hujusmodi dubitare non sinimus, quin in his, & liber aditus pateat ad religionem migrare volenti; & ille, qui ad fidem revertitur, eam, quæ conversa est ad fidem, defunctâ primâ sibi licitè possit copulare: filii etiam in supradicto utroque casu legitimi censeantur.

NOTÆ.

- (a) **Cœlestinus III.**] Ita etiam legitur in secunda collectione, sub hoc tit. cap. 2. & hanc inscriptionem exposuimus in cap. 1. de except.
- (b) **Eorum infidelis.**] Unde impedimentum hoc ecclesiasticum non infidelibus postea conversis, sed fidelibus machinantibus in necem virorum impositum fuit; siquidem crimen, quod præcessit Baptismum, non præstat impedimentum matrimonio, aut sacris Ordinibus, ut probavi in cap. 3. de bigam. non ordin. unde si ambo conjuges in præfenti specie essent infideles, & postea baptizarentur, rectè possent contrahere matrimonium, ut docent Basilius lib. 7. de matrim. cap. 45. num. fin.
- (c) **Triburiensis.**] Relati in cap. si quis vivente, 31. q. 1.
- (d) **Idem siquidem juris.**] Verba quæ sequuntur, omisit Raymundus, & rectè, cum adeo gravis eorum difficultas sit, ut Alfonso à Castro lib. 1.

de heretic. punit. cap. 4. affirmavit, Cœlestinum in præfenti non posse ab hæresi excusari, eo quod senserit matrimonium dissolvi inter fideles, si alter conjugum labatur in hæresim, contra id, quod docet Innocentius in cap. ex parte 14. de convers. conjug. Sed adhuc dicendum est, Cœlestinum in præfenti loquutum fuisse juxta sui temporis sententias, quæ variæ erant circa divortium ob hæresim faciendum: unde dum Innocentius III. in cap. quanto, de divort. statuit ob hæresim non solvi matrimonium, ait: Licet quidam prædecessor noster aliter præfensisse videatur. Quæ verba exaudienda sunt de Cœlestino III. Unde constat, temporibus Cœlestini doctrinam hanc sub opinionibus adhuc fuisse, ut notavit Cæsar de Eccles. hierarch. disp. 1. q. 1. §. 4. num. 11. qui cum integram hujus textus non perlegisset, dubitavit an Cœlestinus III. asseruisset, quod Castro referebat.

Commentarium hujus textus dabimus infra, tit. de eo qui duxit in matrim. quam prius pollicit.

CAPUT II.

Gregorius IX. (a) *Argentinesis Episcopo.*

EX litteris tuis accepimus, quod quidam de Judaicæ cæcitatatis errore ad Christum verum lumen adductus, uxore suâ in Judaismo (b) relicta, in judicio postulavit instanter, ut eorum filius quadriennis assignaretur eidem, ad fidem catholicam, quam ipse susceperat, (c) perducendus. Ad hoc illa respondit, quod cum puer adhuc infans existat, præter quod magis (d) materno indigeret solatio, quam paterno, si bique antepartum onerosus, (d) dolorosus in partu, post partum laboriosus fuisse noscatur, ac ex hoc legitima conjunctio maris, & femine magis (f) matrimonium, quam patrimonium nuncupetur, dictus puer apud eam debet convenientius remanere. *Et infra:* Cum autem filius in patris potestate consistat, cujus (g) sequitur familiam, & non matris, & in ætate tali quis non debet apud eas remanere personas, de quibus possit esse suspicio, quod salutem, vel vitæ infidientur (h) illius; & pueri post triennium apud patrem non

non suspectum ali (i) debeant, & morari, materque pueri, si cum remanere contingeret apud eam, posset illum adducere ad infidelitatis errorem, in favorem maxime fidei christianæ respondemus, patri eundem puerum assignandum.

N O T Æ.

1. (a) **A** *Regentin.* Argentina, sive Argentoratum, Argentuaria olim dicta, nobilis civitas est Germaniæ, Allaciæ gemma, & anima: ejus meminerunt Ptolomeus, D. Hieronymus, & Ammianus Marcellinus: Episcopatus insignis est, & nobilissimus totius Germaniæ prædicatur: Canonicos omnes Principes habet, sive Comites, & Barones, inter quos recipi non possunt, nisi generi convenientes, summaque nobilitatis censeantur. Templum summum, sive cathedrale opus, verè regium, dignumque summa admiratione. Habuit Argentina primum divini verbi satorum sanctum Maternum D. Petri discipulum, ac deinde Episcopos verbo, & opere potentes, ut sanctos Amandum, Arbogastum, Florentium, Arfoaldum, Justum, Maximum, ut refert plura de ipsa nobili urbe adducens Bucelinus tom. 3. *German. sacre, fol. 55.* Bertoldo Duci Theonis, ejusque Præsuli missa est præfens decisio.

2. (b) *In Judæismo relicta.* Quo casu matrimonium dissolvatur, notavi in *can. Concil. Allib.* & latius dicam in cap. quanto, de divorci.

(c) *Perducendus.* Justa, pia, & salubris petitio: intendebat pater, ut sibi filius traderetur erudiendus, atque catholica in religione instruendus, probisque ac christianis moribus imbuendus, agnoscebat facile filium ad ipsam perfidiam Judaicam, moresque Judæorum reversurum, juxta illud D. Gregorii homil. 20. *In his omnibus patrum suorum carnalium vias sequuntur, quasi venenati, filii de venenatis parentibus nati.* Prudentius lib. 1. *contra Symmachum.*

Ut semel obsecrat Gentilia pectora patrum

Vana superstitio, non interrupta cucurrit.

Ætatum per mille gradus tener horruit hæres,

Et coluit quicquid sibi videri venerabile cani

Monstrarunt Atavis puerorum infantia prima

Errorum cum lacte bibit.

Inde noscitur magna præsumptio contra descendentes ex Judæis, ut probant Simanchas de *caebol. tit. 50. num. 11.* Solorzanus tom. 1. *de jure Indiarum lib. 1. cap. 8. num. 13.* Carenas de *offic. Inquisit. p. 3. tit. 3. §. 5.* Transmitta de *oblig. rebel. heret. q. 4. cap. 9. num. 5.* Idem quantum recta educatio in puerili ætate ad virtutem servandam, animumque rectè instruendum faciat: *Educatio* (inquit Seneca lib. 2. *de ira*) *maximam diligentiam, plurimumque profuturam desiderat: facile est teneros adhuc annos componere, difficulter rescinduntur vitia, que nobiscum creverunt.* Idem de consolatione ad *Helviam, cap. 16.* & *Epist. 94.* *Altius præcepta descendunt, que teneris imprimuntur ætatibus; si præcepta nihil adjuverint, omnis institutio tollenda est; ipsa natura contenti esse debemus.* Erras, si existimas nobiscum vitia nasci, supervenerunt, ingesta sunt. Et Aristoteles lib. 2. *Oeconom.* late docet, liberos rectè educatos à parentibus, per sanctos, & justos mores, bonos merito evaluos. Et Plutarchus postquam speciali libro de educatione liberorum disseruit, in vita Themistoclis ait: *Themistocles, quoniam adolescens seroci, mirabilique ingenio videbatur, mirantibus mu-*
D. D. Gonzal. in *Decretal.* Tom. III. Pars II.

atos mores dicere solebat, asperos, & indomitos pullos in bonos equos evadere, si quis illis adhibeat disciplinam rectamque institutionem. Quare in sanctis literis, & à Sanctis Patribus sepe sapius admonentur patres circa educationem filiorum, ut in cap. 23. *Proverb. ibi: Ne subtrahas puero castigationem: cum percusseris eum virga, non morietur; in virga percuties, cum & animam ejus à sepulchro eripies.* Et iterum cap. 12. *ibi: Adolescens juxta viam suam etiam cum senex non receder ab ea.* Et *Eccles. cap. 7. vers. 21. Filii tibi sunt, erudi illos, & curva illos à pueritia illorum: curva cervicem ejus in juventute, & runde latera ejus, dum infans est, ne forte induret, & non credat tibi, & erit tibi dolor anima: doce filium tuum, & operare in illo, ne in turpitudinem illius offendas.* Et D. Hieronymus in *epist. ad Salvianum* ait: *Non est parvi apud eum meriti filios bene educare, difficulter eruditur quod nudi animi peribebunt; lanarum conchilia quis in pristinum candorem revocet.* Et D. Cyprianus lib. 2. *epist. 1.* ait: *Quod semel imbibimus, difficulter deponimus, nec propositum nostrum facile mutatur.* Et D. Bernardus *epist. 113.* inquit: *O quam compositam reddat omnem corporis statum, nec non & mentis habitum disciplina! cervicem submitit, ponit supercilium, componit vultum, ligat oculos, moderatur linguam, frenat gulam, sedat iram, format incessum.* Plura cumulant pro educatione liberorum Cardinalis Sadolet. in *lib. de educat. Schoenborn. lib. 1. polit. cap. 8.* Solorzanus tom. 1. *de jure Indiarum, cap. 26. ex num. 63. & emb. 25. & lib. 2. polit. cap. 17. ad finem.* Cresolius lib. 2. *mystag. cap. 3.* Valenzuela *consil. 36.* Cupiebat ergo pater in præfenti specie probis moribus, & in recta disciplina filios erudire, ut sacris canonibus cavetur. Concilium Tolet. 17. *can. 8.* tibi Loaylas *cap. 1. 30. dist.* Concilium Carthag. 3. *can. 14.* *ibi: Episcopi, & clerici filios suos non emancipent, nisi moribus, & ætati eorum consuluerint, ut peccatis eorum non ipsi graventur.* Concilium Arelat. suo Carolo *can. 19.*

[Ut parentes filios suos, & patini eos, quos de fonte lavacri suscipiunt, erudite summo pete studeant: illi quia eos genuerunt, & eis à Domino dati sunt; isti quia pro eis fidei jussores existunt.] Parisiense sub Ludovico lib. 3. *cap. 25.* refert Antonius Augustinus in *epit. jur. lib. 10. tit. 18.*

(d) *Materno solario.* Nam filius per triennium ablactandus est à matre, quod adeo æquum visum fuit Diocletiano & Maximiano, ut non aliter matrem de filii alimentis adversus patrem audiendam rescripserint, quam si priori vitæ triennio filium ablactaverint, & reliqua educationis officia exhibuerint, *l. nec filium, C. de patria potest.* Consonant lex 3. *tit. 8. lib. 3. fori, lex 3. tit. 19. p. 4.* & triennium lactationis legitimum tempus fuisse apud omnes fere nationes, probant Nicolaus de Lira in *lic. 1. Regum, cap. 1.* & ibidem Hugo Cardinalis, & Dionysius, & in *cap. 21. Genesis, vers. 8.* Abulens. Cajet. Lippomanus, Serarius, & Sanchez in *lib. 2. Machab. cap. 7.* Gaspar Sanchez in *lib. 2. Regum, cap. 1. num. 68.* Mendoza in *lib. 1. Regum, cap. 1. vers. 22.* Franc. Valelius de *sacra philosoph. cap. 83.* qui alle-

gat Gallenum *de tuend. valer.* aliquosque antiquos Medicos. Cum autem triennium hoc desideramus, intelligimus duos annos completos, & tertium inchoatum, eo quod ex Patribus Gregorius Nicomed. Archiepiscopus *serm. de oblat. Virgin. in templ.* Cedrenus *in compend. histor.* Nicephorus *lib. 1. hist. c. 7.* affirmant Deiparam Mariam, quæ simul ac depulsa est à mammis, templo presentata est, tertium nondum absoluisse annum atatis: ex eis refert P. Slerlogus *tom. 3. in Cantica. vestig. 36. cap. 8. fol. 534.* & per illud triennium matres ipsas lacte nutrire debere liberos, non aliis nutriendos tradere, constat ex Tacito *de moribus German. cap. 20.* ibi: [Sua quemque mater uberibus alit, nec ancillis, aut nutricibus delegatur.] Favorinus *apud Gellium lib. 12. cap. 1.* imperfectum ac dimidiatum matris genus vocat pepetisse, ac statim ab se abjecisse, nec aluisse. Illustrat Arniseus *lib. 1. de Repub. cap. 4. sect. 4. num. 15.* & probant latæ Tiraq. *de nobilit. cap. 20. num. 30.* Bernegerus *ad Tacitum q. 115.* Acuña *in cap. ad ejus 5. dist.* quare matrem saltem venialiter peccare, quæ proprio lacte filium non nutrit, nisi adsit iusta causa, resolvunt Covar. *de sponsal. 2. p. cap. 8. §. 6. num. 13.* Rebuffus *ad ll. Gallus, 3. p. in presat. tit. de consuet. num. 47.* unde Anna illa sanctissima Helcanæ uxor Samuelem filium propriis uberibus aluit, ut videre licet *ex lib. 1. Regum, cap. 1. vers. 23.* ubi plura congeffit Mendosa *num. 3.* una enim cum lacte morbos, & mores imbibere infantes solent. Hinc per nutricem ebriosam & ipse Tiberius ebriosus factus est, & Caligula omnium ferè, quos sol aspexit, pessimus tyramidem suam, maleque compositos mores non ex parentibus, sed nutrice improba suxit: aliis exemplis illustrat Bernegerus *ad Tacitum, dicta quest. 115.* & plures congeffit Valeron. *de transact. tit. 3. q. 1.* ubi varia cumulavit de educatione filiorum, & pupilulorum.

(e) *Dolorosus in partu.* Consonat Justinianus in *l. assiduis, C. qui potiores, ibi: Quis enim earum non misereatur propter obsequia, quæ maritis præstant, propter partus periculum, & ipsam liberorum procreationem.* Nonius Marcel. *ibi: Enixæ dicuntur femine intendi, hoc est conandi, & dolendi labore persunctæ, vel quod quibusdam periculis, quibus implicarentur, fuerint exsoluæ.* Quintilian. *declam. 338.* *ibi: Alia est horum ratio, quos brevis transitus voluptatis fecit parentes; aliter amat, quæ peperit, quæ memoriam decem mensium, quæ tot periculorum, tot sollicitudinum recordationes ad vos iudices affert.* Sidonius Apollin. *lib. 4. epist. 21.* *ibi: De quidem Princeps in genere monstrando patris paternæ prerogativa; sed tamen multum est, quod debemus & matribus: pondera illorum, istorum somnia sumus.* Quem Sidonii locum Avitus *lib. 6. cap. 8.* ita exprellit:

*Semina quæ patris fuerunt, hæc pondera matris
Infligunt duros utero turgente dolores.*

(f) *Matrimonium.* Et quamvis pater matre sit præstantior sexu, & dignitate, *l. in multis, ff. de statu homin.* tamen hæc conjunctio non dicitur matrimonium, sed matrimonium; quod ex eo factum esse docet D. Augustinus *lib. 19. contra Faustum,* quod non ob aliud debeat femina numerari, quàm ut mater fiat; unde proprium munus mulieris dicitur parere, quia ad hoc natura eam progenuerit, ut fetus ederet, *l. 2. Cod. de induc. viduit.* & Ulpianus maximum, & præcipuum munus esse feminarum respondit concipi-

pere, & tueri conceptum, *l. queritur 14. §. 1. ff. de edilit. edict.* ideoque Romani testabantur, dum matrimonium contrahebant, quarendorum liberorum causâ illud contrahere, ut colligitur *ex l. liberorum 220. vers. Præter, ff. de verb. sign. l. si vicinus 9. C. de nupt. Ulpianus in fragm. tit. 3. vers. liberis.* Illustrant Franciscus Hochomanus *de ritu nupt. cap. 3.* Cannanus *lib. 8. comment. cap. 3. in fine, Covar. in 4. 2. p. cap. 1. num. 1.* Petrus Gregorius *lib. 9. syntag. cap. 1. à num. 2. & lib. 1. partit. tit. 12. cap. 2.* Fornerius *lib. 3. rerum quotid. cap. 29.* Faber in Papin. *tit. 9. princ. 2. illat. 5.* Nec dissimili ex causa antiqui bona matrimonium appellaverunt, quod scilicet patrum munus præcipue versaretur in quærendis, & paradendis opibus, juxta illud Horatii *in arte poet.*

Conversis studiis atas, animisque virilis

Querit opes, & amicitias, inservit honori;

Commisisse cavet, quod mox mutare laboret.

Ob robur majus sexui concessum, & quia cum minori sexu, & pudicitia periculo inter homines converterentur, & negotiari facilius possint; nam ut ait Ovidius *epist. 18.*

De corpus tenerum sic mens infirma puellæ;

Fortius ingenium suspicor esse viris,

Unde etiam major pars bonorum à matre obveniat, nihilominus totum patrimonium appellatur, *l. 3. §. bonorum, ff. de bonor. possess. l. si quis stipulatus 112. in fin. ff. de verb. oblig. princ. Inst. de rerum divis. notavit Fornerius lib. 1. rerum quotid. cap. 18.*

(g) *Cujus sequitur familiam.* Filios enim esse in patris, non matris potestate, notum est, *l. 3. §. 4. ff. de his qui sunt sui, vel alieni, l. illud 4. §. ad test. ff. de bonor. possess. contra tab. l. nulla, ff. de suis & legit. l. 38. in princ. ff. de instit. §. femina, Inst. de adopt. Faber in Hurstrod. tit. 8. princ. 4. illat. 10.* Balduinus *ad ll. Romul. cap. 17.* Connanus *lib. 2. comment. cap. 13.* Reverendus *ad ll. 12. Tabul. cap. 3.* & patris familiam sequuntur, §. itaque, *Inst. de legiti. agnat. success. l. cum legitime, ff. de stat. homin. cujus etiam sequitur originem, l. 3. C. de mancip. §. orig. & illius gentilitia induuntur, l. nomen, ff. de manumiss. testam. l. femina, ff. de Senator. l. 1. C. de dignit. lib. 12. l. 101. C. Theodof. de Decor. licet quoquo statum, & conditionem filius matrem sequatur, ut latè probavi in *cap. final. de servis non ordin.**

(h) *Insidientur illis.* Supponit Pontifex, quod Ulpianus docuit in *l. si disceptatur, ff. ubi pupillus, ibi: In causa cognitione vitandi sunt, qui pudicitia impuberis possunt insidiari.* Præcipue cum facile parentum, immò & domesticorum mores in filios transeant, juxta illud Juvenalis *satyr. 14. Si natura juvet, velocius, & citius nos corruptum vitiorum exempla domestica. Plinii in Panegy. Non tam imperio illi opus est, quam exemplo.* Unde agebat Poëta:

Ut vires in foliis hæstus radicibus humor,

Ita patrum in filios abeunt cum semine mores.

D. Hieronymus *epist. 15. ad Letam,* ait: *Nihil in te videat filia, quod si fecerit, peccet: mementote vos parentes virgines; eam magis exemplis doceri posse quam voce.* Juvenalis *satyr. 14. ibi:*

*Nihil dictu ferum, visusque hæc limina tangant,
Intra quæ puer est; procul vadit puella.*

Notavi in *can. Concil. Illiber.* Mortuo autem patre,

tre, & matre ad secundas nuptias transeunte, apud quem debeant filii defuncti educari, ad praxim exponunt Leon *tom. 2. decis. 201.* Cabedo *tom. 1. decis. 99.* Valenzuela *consil. 36.*

8. (i) *Alii debeant.* Sicut in animalibus filiorum educationem, & eos alendi necessitatem instinctus, seu impulsus naturalis indixit; ita similiter in parentibus obligationem alendi liberos ex naturali jure provenire certum est, l. 1. §. *jus naturale*, ff. *de justit. & jure*, l. *si quis à liberis* §. *parens*, ff. *de agnos. liber.* l. 3. §. 4. ff. *de alend. liber.* l. *unic.* §. *taceat*, C. *de rei uxor.* l. *non solum* §. *ipsum*, C. *de bonis qua lib. cap. jus naturale*, 1. *dist. l. 2. tit. 1. p. 1.* larè probat Fortunius Garcia in *dicta l. 1. §. jus naturale*, Petrus Faber *lib. 2. semestr. cap. 1.* Valencia *tom. 3. tract. 3. de liberis & posth. cap. 1.* dicemus in *cap. cum haberet*, de eo qui duxit.

COMMENTARIUM.

9. Regulariter olim factò divortio, apud patrem morari, & educari liberi solebant. tum propter jus patriæ potestatis, tum ut ab eo alerentur; & si uxoris causâ divortium intercessisset, maritus propter singulos liberos ex matrimonio scilicet communiter susceptos, totidem sextas partes dotis retinere poterat, id est unam ultra dimidiam partem dotis. Ulpianus in *fragm. tit. 6. Paulus lib. 2. sent. tit. de dot. l. unic. C. de rei uxor. action.* Cicero in *Topicis*, ibi: *Si viri culpâ factum est divortium, etsi mulier nuntium remisit, tamen pro liberis manere nihil oportet.* Ubi Boëtius. Illustrat Revardus *lib. 4. var. cap. 13.* Pichardus in *§. fuerat*, num. 70. *insit. de act.* Cujacius ad *Ulpianum*, in *dicto tit. 6.* Grotius in *storibus*, ad *tit. de divortio*, Brillionius *lib. 5. de formulis.* Petrus Barbosa in *l. post dotem* 40. num. 5. ff. *solut. matrim.* & differentias inter hanc retentionem, & alias obres amotas, & ob mores, eruditè, ut solet, explicat eruditissimus Ramos in *schediasm. ad leg.*

unic. §. taceat, C. *de rei uxor. act.* nec matri relinquiebantur filii, nisi minores, cum adhuc sub mamma essent. *l. penult. junctâ Glosâ ibi, Cod. de patriâ potest.* Senlim postea inolevit, ut pro sexu divisio fieret, ut patri mares, matri femina traderentur: ex justis tamen causis, veluti ob suspectos patris mores, utriusque sexus liberi, quantumvis exuberet, soli matri tradebantur sine diminutione patriæ potestatis, l. 1. §. *si verum*, l. 3. §. *etiam si*, ff. *de liber. exhib.* Postea Imperatores Dioclet. & Maxim. in *l. unic. C. divortio factò*, totum hoc negotium arbitrio judicis commiserunt, qui aestimare debet, quid utilius, commodiusque sit liberis. Imperator Justin. in *authent. sequenti*, post dictam legem unicam, hanc questionem paulo exactius decidit, dum disponit, ut si patris culpâ divortium sequutum sit, & mater ad secundas nuptias non transierit, liberi apud eam educari debent impensis patris: si verò culpâ matris solum sit matrimonium, apud patrem nutriantur impensis matris locupletis: quam constitutionem explicant Cujacius, & Richierius ibi. Unde inspectâ eâ constitutione, etiam secluso fidei favore, in præsentî specie filius educandus erat penes patrem; nam cum ob culpam mulieris, quæ noluit converti ad fidem catholicam simul cum marito, sequutum esset divortium, etiam quoad vinculum, ex notatis in *can. Concilii Illib.* & traditis in *cap. 4. de divort.* ideo penes patrem filius educandus & alendus erat. Huic rationi juris aliam adjunxit Gregorius in præsentî, deductam ex fidei favore, cujus intuitu etiam in Concilio Tolet. 17. *can. 8.* relato in *cap. Judæorum* 28. q. 1. jubetur ut ab infidelibus servis Christianorum filii auferantur; ne eorum perfidiæ involvantur, ibi: *Judæorum filios, vel filias, ne parentum ultra involvantur erroribus, ab eorum consortio separari decernimus.* Notavit Sahabedra in *chron. Goth. cap. 19.* prosequuntur Vazquez *tom. 2. in 3. p. disput. 155. cap. 4.* Simanchas *de cathol. cap. 29.* Diana p. 8. *tract. 1. resol. 12.* Narbona *de atate*, anno 7. q. 10. Quid observetur factò divortio ex alia causa, veluti levitici, exponit Valenzuela *consil. 41.*

TITULUS XXXIV.

De Voto & Voti Redemptione.

CAPUT I.

Alex. III. Exon. (a) Episcopo.

DE (b) peregrinationis quoque votis, an eleemosynis redimi possint, vel aliud pro necessitate impleri, tibi respondemus, quod ab ejus, qui præfidet, dependet arbitrio, ut consideret diligentias, & attendat qualitatem personæ, & causam commutationis, scilicet, an id ex infirmitate, seu affluentia divitiarum contingat; utrum peregrinatio, an recompensatio melior fuerit, & Deo magis accepta; & secundum hoc debet inde dispensare.